

Miscellanea

Breve Summi Pontificis Pii VI, electionem Abbatis generalis l'Ecuy confirmans.

Die 18 septembris 1780, l'Ecuy electus fuit in abbatem Praemonstrati, et insimul in abbatem generalem Ordinis Praemonstratensis. Quomodo electio ista ordinata fuerit, ope compromissi, satis fuse exponitur a B. RAVARY, *Prémontré dans le tourmente révolutionnaire. La vie de J.-B. L'Ecuy, dernier abbé général des Prémontrés en France. 1740-1834*. Parisiis, 1955, pp. 88-97. Electione ad exitum felicem deducta, approbatio Summi Pontificis obtinenda erat. Quae approbatio de facto obtenta fuit; et electo significata ope Brevis pontificii, diei 20 decembris 1780.

De Brevi isto haec scribit B. Ravary, *l.c.*, p. 96 : « A la fin de l'année, L'Ecuy recevait de Rome le bref qui confirmait son éléction. Il est daté du 20 décembre 1780, sixième année du Pontificat de Pie VI. La démarche du nouveau Général, pour obtenir cette confirmation, avait particulièrement touché le Pape, en des temps pour lui si tristes. Aussi, ne s'est-il pas contenté d'une approbation consistoriale, mais a-t-il tout fait pour faciliter la tâche du procureur de l'Ordre auprès de lui, et, par là, montrer son attachement à la famille religieuse de l'élu, ainsi que la joie que lui cause le choix d'un tel candidat. Espérant donc voir l'Ordre de Prémontré fleurir et s'illustrer, sous sa conduite, il l'assure de ses prières à cette fin et le bénit, lui et son Ordre. Très touché, L'Ecuy remercie le pape, par une lettre latine datée du 7 janvier ... Un style ampoulé nuit à l'expression des sentiments. L'Ecuy l'a senti et s'en excuse. Misérable (tenuis et infimus), quant à lui, il voit dans Pie VI revivre Innocent, Alexandre, Clément ».

In archivo abbatae Parcensis, li. XXI, cas. XVII, 5, nr. 88 asseruntur litterae procuratoris generalis illius temporis, Aeg. De Smedt, qui, uti scribit, litteras pontificias abbati Parcensi, S. Wouters, transmittit (Reverendissima Dignitas vestra est persona, cui hanc communicavi). Adduntur litterae summi Pontificis, et responsum abbatis generalis l'Ecuy.

Aegidius De Smedt, fuit praeses Collegii Norbertini Romae, inde ab anno 1779, et insimul procurator generalis Ordinis Praemonstratensis

Romae usque ab obitum suum (Romae, die 2 maii 1804). In litteris, diei 31 ianuarii 1781, directis abbati Parcensi, Simoni Wouters, paucis notatis de talliis debitis ab asceteriis Gempe et Oosterhout, pergīt procurator : « Occasione fruor ... notificandi non parva, nec ingloriosa nova, quae circa novum nostrum Generalem noviter contigerint; scilicet, quod Sanctissimus noster Protector neo-nostrum Generalem in ultimo Consistorio ipsemet proposuerit, confirmationisque negotium peregerit; immo ad meas preces eidem indulsit 1/3 expensarum quae alias totales sunt 4325 scutorum ... Plus dico. Ei litteras misit responsales ad litteras seu supplicam quam per me generalis Suae Sanctitati porrexīt. Iam ante mihi proposuerat responsoria ... Ut autem Dominationi vestrae et quotquot DD. Confratribus notum sit, quo affectu, amore, etc. erga Ordinem nostrum feratur, etc. tanti inauditi Evergetis epistola ad Illustrissimum D. Generalem copiam hisce addo ... ».

Communicat deinde procurator De Smedt textum Brevis pontificii; ac responsi gratiarum actionis ex parte abbatis generalis, l'Ecuy. Submittimus textum utriusque scripti.

1. *Dilecto filio Joanni Baptistae L'Ecuy, Abbati Generali Ordinis Praemonstratensis.*

Dilecto filio, Salutem. Valde gratum nobis fuit, Dilecte fili, praestitum in Nos et Apostolicam hanc Sedem observantiae pietatisque officium tuum, quo diligenter perscripsisti, te ad supremum Praemonstratensis Ordinis gradum rite per Fratrum suffragia electum. Id ipsum Nos non solum actione nostra consistoriali, sed ea etiam omnia, quae hic requirebantur, non mediocri liberalitate nostra, expeditiora tibi facere voluimus, ut ex procuratore generali, qui apud Nos est, intelligas quo singulari nostro erga te, tuumque Ordinem studio magis obsequeremur. Illud proinde nunc tibi persuasum praecipue esse debet. Dilecte fili, nihil a te ad locum illum evecto, Nobis jucundius accidere posse, quam si Praemonstratensem coetum sub te, tuoque ductu, exemplis institutisque maxime florere, illustrarique videamus. Quod ut facilius assequaris, et Deum O. M., ut propitius tibi, favensque sit precamur, et omnia pontificiae gratiae, amoris et patrocinii praesidia, atque adjumenta pollicemur, ac in certius paternae hujus voluntatis pignus, Apostolicam benedictionem tibi, Dilecte fili, tuoque universo Ordini peramanter impertimur.

Datum Romae, 20. Decembris 1780, Pontificatus nostri Anno sexto.

2. His litteris pontificiis acceptis, hac ratione litteras responsorias misit neo-generalis l'Ecuy.

Beatissime Pater,

Quas Vestrae Sanctitati, quas Divi Petri Successorum optimo et beneficientissimo grates referre poterit filiorum minimus nostra haeret vox, silet lingua, tot beneficiorum opprimitur magnitudine. O Pater Sanctissime, quanta nunc est Ordinis nostri Praemonstratensis gloria ! Quantum decus ! honorificentissima, unica et hucusque inaudita gaudet protectione ; Sibi paternis faventem gratus, et quasi blandientem loetus prospicit ipsum totius orbis universi primum pastorem, sibi tandem singulari supremi nominis Dono revixisse in Pio VI vidit Innocentium, Alexandrum, Clementem, immensamque inclitorum pontificum seriem, a quibus noster Ordo decoratus est : in uno Pio mille (millies ?) benefici, pii et boni.

Et ego, Pater Beatissime, ego tenuis et infimus, Canonico nostro Ordini proficior in tam gloriosis circumstantiis ; et ego a Sanctitate Vestra apostolicam Confirmationem ultra quod sperare et petere nisus essem, expensarum remissionem, et quod auro et argento pretiosius est, paternae Benevolentiae, pastoralisque affectus testimonia, felix ego, ego fortunatissimus accipio.

Parcat Beatissime Pater, o parcat Sanctitas Vestra. Si tantis impar elocutio grato animi sensus interpretatur modo impari, quod Beneficium verba non assequantur, causa est ipsa numquam assequenda Beneficii magnitudo.

Quid igitur ego et mei possumus, Beatissime Pater, nisi assidue ad aras adstare, et tanto Pontificii longos annos, longamque rerum prosperarum seriem ? Interdum altos recogitabo favores, et pontificiae protectionis rogans nobis continuari praesidium, Sanctissimi pedes deosculando vivam et moriar.

Beatissime Pater, Humillimus et demississimus Servus necnon in Christo filius. Praemonstrati, 7a Jan. 1781.

Joan. Bapt. L'Ecuy, Ordinis Praemonstratensis Abbas Generalis.

Abdij, B 3281 Averbode.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.